

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**M. Tvllii Ciceronis|| Epistolae Familiares.||**

**Cicero, Marcus Tullius**

**Venetiis, 1565**

Liber V.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-724041](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-724041)

CICERONIS EPISTOLARVM,  
AD METELLVM, ET ALIOS,  
LIBER V.

ARGVMENTVM.

Queritur Marcellus Celer, qui Galliam proconsul regebat, Metellum Nepotem, fratrem suum, a Cicerone oppugnatum. uidetur esse paullo arrogantior epistola.

Q. Metellus Q. F. Celer procos. s. D.  
M. Tullio Ciceroni.

non proprie dictum. uide sequentem epistolam.

nobilissimae, licet plebeiae.

In Piceno contra Caesilinam. Sallustius.

**S**I VALES, bene est. Existimaram, pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia, neque me absentem ludibrio laesum iri, nec Metellum fratrem, ob dictum, capite, ac sortunis per te oppugnatum iri. quem si parum pudor ipsius defendebat; uel familiae debebat nostrae dignitas, uel meum studium erga uos, remq. pub. satis subleuare. nunc uideo illum circumuentum, me desertum a quibus minime conueniebat. itaque in luctu, & squalore sum, qui prouinciae, qui exercitui praesum, qui bellum gero. quae quoniam nec ratione, nec maiorum nostrorum clementia administrasti: non erit mirandum, si uos paenitebit. Te tam mobili in me meosq. esse animo, non sperabam. Me interea nec domesticus dolor, nec cuiusquam iniuria a rep. abducat. Vale.

ARG. Excusat se de Metello Nepote, suaq. in ipsum Celerem merita commemorat.

M. Cicero

AD METELLVM, ET ALIOS. 69

M. Cicero s. d. Q. Merello Q. F.

Celeri procos.

SITV, exercitusq. ualetis, bene est. Scribis ad me, te existimasse pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia numquam te a me ludibrio laesum iri. quod cuiusmodi sit, satis intelligere non possum: sed tamen suspicor ad te esse allatum, me, in senatu cum disputarem, permultos esse, qui remp. a me conseruatam dolerent, dixisse; a te propinquos tuos, quibus negare non potuisses, impetrasse, ut ea, quae statuis- ses tibi in senatu de mea laude esse dicenda, reticeres. quod cum dicerem, illud adiunxi: mihi tecum ita dispartitum officium fuisse in reip. salute retinenda, ut ego urbem a domesticis insidijs, & ab intestino scelere; tu Italiam & ab armatis hostibus, & ab occulta coniuratione defenderes: atque hanc nostram tanti, & tam praecleari muneris societatem a tuis propinquis labefactatam: qui, cum tu a me rebus amplissimis, atque honorificentissimis ornatus esses, timuissent, ne qua mihi pars abs te uoluntatis mutuae tribueretur. Hoc in sermone, cum a me exponeretur, quae mea expectatio fuisset orationis tuae, quantoq. in errore uersatus essem: uisa est oratio non iniucunda, & mediocris quidam est risus consecutus, non in te, sed magis in errorem meum, & quod, me abs te cupisse laudari, aperte, atque ingenue confitebar. Iam, hoc non potest in te

notat Metellum  
Nepotem, Me-  
telli Celeris  
fratrem.

Lentuli, & Cethegi.

Caecilium significat, & Manlium, qui exierant, uocibus & minis extruisti Ciceronis eorum: quae de re quattuor ex hae orationes.

quia meate in-  
anem ambitio-  
nem fatebar.

non

aculens in Me  
rellum, quasi  
parem uolunta  
tem non reddi  
derit.

Galliam, ora  
tio in Pisonē.

provincias aut  
fortiebantur,  
aut cōparabāt  
inter se. Liui  
us, & alii.

praetores nam  
erat praetor Me  
tellus, quo tem  
pore provinciā  
est sortitus.  
ob eorum clari  
tatem, qui scri  
bēdo affuecunt.  
quae S. C. aucto  
ritates diceban  
tur.

non honorifice esse dictū, me in clarissimis meis,  
atque amplissimis rebus tamen aliquod testimo  
nium tuae uocis habere uoluisset. Quod autem ita  
scribis, pro mutuo inter nos animo: quid tu exi  
stimes esse in amicitia mutuum, nescio: equidem  
hoc arbitror, cum pār uoluntas accipitur, &  
redditur. Ego si hoc dicam, me tua causa prae  
termisisse provinciam, tibi ipse lenior uidear es  
se. meae enim rationes ita tulerunt: atque eius  
mei consilij maiorem in dies singulos fructum, uo  
luptatemq. capio. illud dico, me, ut primum in  
concione prouinciam deposuerim, statim, quem  
admodum eam tibi traderem, cogitare coepisse.  
Nihil dico de sortitiōne uestra: tantum te suspi  
cari uolo nihil in ea re per collegam meum me in  
sciente esse factum. Recordare cetera; quam cito  
senatum illo die, facta sortitione, coegerim; quā  
multa de te uerba fecerim; cum tu ipse mihi dixi  
sti, orationem meam non solum in te honorificā,  
sed etiam in collēgas tuos contumeliosam fuisse.  
Iam illud s. c. quod eo die factum est, ea praescri  
ptione est, ut, dum id exstabit, officium meum in  
te obscurum esse non possit. Postea uero quam  
profectus es, uelim recordere, quae ego de te  
in senatu egerim, quae in concionibus dixerim,  
quas ad te litteras miserim. Quae cum omnia  
collegeris; tu ipse uelim iudices, satis ne uidea  
tur his omnibus rebus tuus aduentus, cum  
proxime Romam uenisti, mutuo respondisse.

Quo

Quod scribis de reconciliata nostra gratia: non intelligo, cur reconciliatam esse dicas, quae nunquam immutata est. Quod scribis, non oportuisse Metellum, fratrem tuum, ob dictum a me oppugnari: primum, hoc uelim existimes, animum mihi istum tuum uehementer probari, & fraternam plenam humanitatis, ac pietatis uoluntatem: deinde, si qua ego in re fratri tuo reip. causa restiterim; peto, ut mihi ignoscas. tam enim sum amicus reip. quam qui maxime. si uero meam salutem contra illius impetum in me crudelissimum defenderim: satis habeas, nihil me etiam tecum de tui fratris iniuria conqueri. quem ego cum comperissem omnem sui tribunatus conatum in meam perniciem parare, atque meditari; egi cum Claudia, uxore tua, & cum uestra sorore Mucia, cuius erga me studium, pro Cn. Pompeij necessitudine, multis in rebus perspexeram, ut cum ab illa iniuria deterrent. Atque ille, quod te audisse credo, pridie Kal. Ian. qua iniuria nemo umquam in aliquo magistratu improbissimus ciuis affectus est, ea me consulem affecit, cum remp. conseruassem; atque abeunte magistratu concionis habendae potestate priuauit. cuius iniuria mihi tamen honori summo fuit. nam, cum ille mihi nihil, nisi ut iurarem, permitteret; magna uoce iurari uerissimum, pulcherrimumq. iusiurandum: quo populus ita magna uoce, me uere iurasse, iurauit. Hac

accepta

piu Marcellu,  
sed no aequum  
dicit esse

forore P. Clodii . . .  
uxore Cn. Pompei, ut est apud  
Dionem, Plutarchum, Pedianu, & alios.

pro ea potestate, quam tribunus pl. habebat.  
iurauit, remp. a se seruata, in oratione in Pisonem, & pro domo.

accepta tam insigni iniuria, tamen illo ipso die  
 misi ad Metellum communes amicos, qui age-  
 rent cum eo, ut ab illa mente desisteret. quibus  
 ille respondit; sibi non esse integrum. etenim paul-  
 lo ante in concione dixerat, ei, qui in alios ani-  
 maduertisset indieta causa, dicendi ipsi potesta-  
 tem fieri non oportere. hominem grauem, & ci-  
 uem egregium; qui, qua poena senatus, consen-  
 su bonorum omnium, eos affecerat, qui urbem  
 incendere, magistratus, ac senatum trucidare,  
 bellum maximum conflare uoluissent, eadem di-  
 gnum iudicaret eum, qui curiam caede, urbem  
 incendijs, Italiam bello liberasset. itaque ego Me-  
 tello fratri tuo praesenti restiti. nam in senatu  
 Käl. Ian. sic cum eo de rep. disputauit, ut senti-  
 ret sibi cum uiro forti, & constanti esse pugnan-  
 dum. Ad III. non. Ian. cum agere coepisset,  
 tertio quoque uerbo orationis suae me appella-  
 bat, mihi minabatur: neque illi quidquam deli-  
 beratius fuit, quam me, quacumque ratione pos-  
 set, non iudicio, neque disceptatione, sed ui, at-  
 que impressione euertere. huius ego temeritati si  
 uirtute, atque animo non restitisssem; quis esset,  
 qui me in consulatu non casu potius existimaret,  
 quam consilio fortem fuisse? Haec si Metellum co-  
 gitare de me nescisti: debes existimare, te maxi-  
 mis de rebus a fratre esse celatum. sin aliquid im-  
 pertiuit tibi sui consilij: lenis a te, et facilis existi-  
 mari debeo, qui nihil tecum de his ipsis rebus ex-  
 postu-

Catilinae so-  
 cios.

pridie consula-  
 tum absolue-  
 rat.  
 in senatu.

iudiciale uer-  
 bum.

hoc usus est  
 uerbo, ut osten-  
 deret, non op-  
 pugnationem  
 suam fuisse, sed  
 defensionem.  
 Phil. vi.

postulem. et si intelligi, non me dicto Metelli, ut scribis, sed consilio eius, animoq. in me inimicissimo esse commotum. Cognosce nunc humanitatem meam: si humanitas appellanda est in acerbissima iniuria remissio animi, ac dissolutio. Nulla est a me umquam sententia dicta in fratrem tuum. quotiescumque aliquid est actum, sedens ijs assensi, qui mihi lenissime sentire visi sunt. addam illud etiam; quod iam ego curare non debui, sed tamen fieri non moleste tuli, atque etiam, ut ita fieret, pro mea parte adiui; ut s. C. meus inimicus, quia tuus frater erat, subleuaretur. Quare non ego oppugnavi fratrem tuum, sed fratri tuo repugnavi: nec in te, ut scribis, animo sui mobili, sed ita stabili, ut in mea erga te voluntate, etiam desertus ab officijs tuis, permanerem. Atque hoc ipso tempore tibi, paene minitanti nobis per litteras, hoc rescribo, atque respondeo. Ego dolori tuo non solum ignosco, sed summam etiam laudem tribuo. meus enim me sensus, quanta vis fraterni sit amoris, admonet. a te peto, ut tu quoque aequum te iudicem dolori meo praebeas; si acerbe, si crudeliter, si sine caussa sum a tuis oppugnatus, ut statuas mihi non modo non cedendum, sed etiam tuo, atque exercitus tui auxilio in eiusmodi caussa utendum fuisse. Ego te mihi semper amicum esse nolui; me ut tibi amicissimum esse intelligeres, laboravi. maneo in voluntate, & quoad voles

tu,

quae laudatur  
at animi dissol-  
utio reprehenditur.

cū agentur de  
Nepote resp.  
administratio.  
ne iam movendo.  
Suet. in Iu-  
lio.

eadem modo lo-  
cutus est ep. 1.  
lib. 2.

ita humanitas  
praefert, ut  
tamen gravitate  
non abiciat

tu, permanebo: citiusq. amore tui fratrem tuum odisse desinam, quam illius odio quidquam de nostra beneuolentia detrahatur. Vale.

ARG. Quae sequitur epistola, non dubito quin Metelli Celeris potius sit, quam Nepotis: & in epistola Nepotem puto significari.

Q. Metellus Nepos s. d. Ciceroni. 3

maledicta in te iniquissima.

quod puto esse difficile, cum a fratre meo grauissimam iniuriam acceperis.

HOMINIS importunissimi contumelae, quibus me crebris consionibus onerat, tuis erga me officijs leniuntur; & ut sunt leues huiusmodi homines, a me despiciuntur: libenterque, commutata persona, te mihi fratris loco esse duco. de illo ne meminisse quidem uolo: tametsi bis eum inuitum seruauit. De me, meisq. rebus, ne uobis multitudine litterarum molestior essem, ad Lollium perscrisi; de rationibus etiam provinciae quid uellem fieri, ut is doceret, & commonefaceret. Si poteris, uelim pristinam tuam erga me uoluntatem conserues. Vale.

ARG. Studium, & auxilium Metelli Nepotis, consulatum gerentis, exsul implorat.

Cicero s. d. Metello Nepoti cos. 4

P. Lentulo consule, qui retulit ad senatum de Cicerone restituyendo.

LITTERAE Quinti fratris, & T. Pomponij, necessarij mei, tantum mihi spei dederant, ut in te non minus auxilij, quam in tuo collega, mihi constitutum fuerit. itaque ad te litteras statim misi; per quas, ut fortuna postulabat, & gratias tibi egi, & de reliquo tempore auxilium petij. postea mihi non tam meorum litterae, quam sermones



mones eorum, qui hac iter faciebant, animum tuum immutatum significabant: quae res fecit, ut tibi litteris obstrepere non auderem. nunc mihi Quintus, frater meus, mitissimam tuam orationem, quam in senatu habuisses, perscripsi: qua inductus, ad te scribere sum coactus: & abs te, quantum tua fert uoluntas, peto, quaesoque, ut tuos mecum serues potius, quam propter arrogantem crudelitatem tuorum me oppugnes. tu, tuas inimicitias ut reip. donares, te uicisti: alienis ut contra remp. confirmes, adduceres? quod si mihi tua clementia opem tuleris: omnibus in rebus me fore in tua potestate tibi confirmo. sin mihi neque magistratum, neque senatum, neque populum auxiliari propter eam uim, quae me cum rep. uicit, licuerit: uide, ne, cum uelis reuocare tempus omnium conseruandorum, cum, qui seruetur, non erit, non possis. Vale.

ARG. Exprobat Antonio, qui Macedoniam proconsul regebat, ingrati animi uitium; deinde Atticum illi commendat.

Cicero s. D. C. Antonio M. F. imp. 5

ES I statueram nullas ad te litteras mittere, nisi commendaticias; non quod eas intellexerem satis apud te ualere; sed, ne ijs, qui me rogarent, aliquid de nostra coniunctione imminutum esse ostenderem: tamen cum T. Pomponius, homo omnium meorum in te studiorum, & officiorum

quod ab eo, qui ante fuerit inimicus, satis uidetur.

Clodianorum. nam & lib. 4. ad Att. epist. 3. appellatur hic Metellus frater P. Clodij, Cicero nis inimici.

consulem P. Lætulum, ad salutem Ciceronis maxime propensum.

miror, cur, imperatori, adscribat, cum, in provincia male re ab eo gestam, Dio, Obsequens, epitome Luitanz significet.

significat se in  
uitum scripsit.  
se.

ad augendam  
copiam, hic est  
locus cum illo  
conferendus,  
epist. 8.

uide ad Att. ep.  
10. lib. 1.

ep. 8.  
iudicium, quod  
in Antonium  
parabatur, M.  
Coelio accusa-  
tore: quo in iu-  
dicio Antonium  
Cicero defen-  
dit. uide orat.  
pro Coelio, &  
ad Att. ep. 8.  
lib. 1.

ciorum maxime conscius, tui cupidus, nostri a-  
mantissimus, ad te proficiscerentur; aliquid mihi  
scribendum putavi, praesertim cum aliter ipsi  
Pomponio satisfacere non possem. Ego si abs te  
summa officia desiderem, mirum nemini uideri  
debeat. omnia enim a me in te profecta sunt,  
quae ad tuum commodum, quae ad honorem,  
quae ad dignitatem pertinerent. pro his rebus  
nullam mihi abs te relatam esse gratiam, tu es  
optimus testis. contra etiam esse aliquid abs te  
profectum, ex multis audiui: nam, comperisse  
me, non audeo dicere; ne forte id ipsum uerbum  
ponam, quod abs te aiunt falso in me solere con-  
ferri. sed ea, quae ad me delata sunt, malo te  
ex Pomponio, cui non minus molesta fuerunt,  
quam ex meis litteris, cognoscere. meus in te ani-  
mus quam singulari officio fuerit, & senatus, &  
populus R. testis est; tu, quam gratus erga me  
fueris, ipse existimare potes; quantum mihi de-  
beas, ceteri existiment. ego, quae tua causa an-  
tea feci, uoluntate sum adductus, posteaq. con-  
stantia: sed reliqua, mihi crede, multo maius me-  
um studium, maioremq. grauitatem, & laborem  
desiderant: quae ego si non profunderere ac perde-  
re uidebor, omnibus meis uiribus sustinebo: sin  
ingrata esse sentiam; non committam, ut tibi ipse  
insanire uidear. ea quae sint, & cuiusmodi, po-  
teris ex Pomponio cognoscere. Atque ipsum ti-  
bi Pomponium ita commendo, ut, quamquam  
ipsum

ipſius cauſſa confido te facturum eſſe omnia, ta-  
men abs te hoc poſtulat, ut, ſi quid reſidet in te amo-  
ris erga me, id omne in Pomponij negotio oſten-  
das. hoc mihi gratius facere nihil potes. Valg.

ARG Narrat, ſe diligentiam adhibuiſſe, ne Sextio ſuc-  
cederetur. adſcribit de domo a ſe empta.

Cicero ſ. D. P. Sextio L. F. procos. 6

CVM ad me Decius librarius ueniſſet; egis-  
ſetq. mecum, ut operam darem, ne tibi hoc tem-  
pore ſuccederetur: quamquam illum hominem fru-  
gi, & tibi amicum exiſtimabam; tamen, quod,  
memoria tenebam, cuiuſmodi ad me litteras an-  
tea miſiſſes, non ſatis credidi homini prudenti,  
tam ualde eſſe mutatam uoluntatem tuam. ſed po-  
ſtea quam & Cornelia tua Terentiam conuenit;  
& ego cum Q. Cornelio locutus ſum: adhibui di-  
ligentiam, quotieſcumque ſenatus fuit, ut a de-  
ſem: plurimumq. in eo negotij habui, ut Q. Fu-  
fium tribunum pl. & ceteros, ad quos tū ſcripſe-  
ras, cogerem mihi potius credere, quam tuis lute-  
ris. omnino res tota in menſem Ianuarium reiecta  
erat, ſed facile obtinebatur. Ego, tua gratulatio-  
ne commotus, quod ad me pridem ſcripſeras, uel-  
le te bene euenire, quod de Crasso domum emiſ-  
ſem, emi eam ipſam domum xxxv<sup>o</sup>, aliquanto  
poſt tuam gratulationem. itaque nunc me ſci-  
to tantum habere aeris alieni, ut cupiam cōn-  
iurare, ſi quis me recipiat. ſed partim odio  
inducti me excludunt, & aperte uindictam con-  
L iurationis

ut tibi ſuccede-  
retur, contra  
quam Decius  
mecum egerat.

ideſt tricies  
quingies. Gel.  
l. 12. c. 12.  
alludit ad con-  
iurationem Ca-  
tilinae, ex aere  
alieno contra-  
ctam.

de off. lib. 2.  
libri ueteres,  
omn; pro, cui-  
uis  
debitor, qui sol-  
uendo esse pos-  
sit.  
collegam suum  
in consulatu,  
quē postea Coe-  
lius accusauit.  
uide orationē  
pro M. Coelio.

irrationis oderunt: partim non credunt; & a me insidias metuunt; nec putant ei nummos deesse posse, qui ex obsidiōne feneratorum exemerit. omnino semissibus magna copia est: ego autem meis rebus gestis hoc sum assecutus, ut bonum nomen existimer. Domum tuam, atque aedificationem omnem perspexi, & uehementer probavi. Antonium, etsi eius in me officia omnes desiderant, tamen in senatu grauissime, ac diligentissime defendi; senatumque uehementer oratione mea, atque auctoritate commouui. Tu ad me uelim litteras crebrius mittas. Vale.

AR G. Leuiter ex postulat, quod Pompeius sibi de oppressa Catilinae coniuratione non esset pro rei magnitudine litteris gratulatus.

Cicero s. d. Cn. Pompeio Cn. F.

Magno, imp.

effecto Michri  
datico bello.

SI TV, exercitusque ualetis, bene est. Ex litteris tuis, quas publice misisti, cepi una cum omnibus incredibilem uoluptatem. tantam enim spem otij ostendisti, quantam ego semper omnibus, te uno fretus, pollicebar. sed hoc scito, tuos ueteres hostes, novos amicos, uehementer litteris percussos, atque ex magna spe deturbatos, iacere. Ad me autem litteras quas misisti, quamquam exiguam significationem tuae erga me uoluntatis habebant, tamen mihi scito iucundas fuisse. nulla enim re tam laetari soleo, quam meorum officiorum conscientia. quibus si quando non mu-

tuo

tūo respondetur; apud me plus officij residere, facillime patior. illud non dubito, quin, si te mea summa erga te studia parum mihi adiunxerunt, resp. nos inter nos conciliatura, coniuncturaq. sit. ac, ne ignores, quid ego in tuis litteris desiderarim: scribam aperte, sicut & mea natura, et nostra amicitia postulat. Res eas gessi, quarum aliquā in tuis litteris, & nostrae necessitudinis, & reip. causa, gratulationem expectavi: quam ego abs te praetermissam esse arbitror, quod verebare, ne cuius animum offenderes. sed scito, ea, quae nos pro salute patriae gessimus, orbis terrae iudicio, ac testimonio comprobari. quae, cum ueneris, tanto consilio, tantaq. animi magnitudine a me gesta esse cognosces, ut tibi, multo maiori, quam Africanus fuit, me, non multo minorem, quam Laelium, facile & in rep. & in amicitia adiunctum esse patiare. Vale.

A R G. Officium suum in Crassum praedicat; omniaq. pollicetur, quae ad illius commodum, aut amplitudinem Pertinebunt.

Cicero s. d. M. Licinio P. F.

Crasso.

8

Q V A N T V M meum studium extiterit dignitatis tuae uel tuendae, uel etiam augendae, nō dubito, quin ad te omnes tui perscripserint: non enim fuit aut mediocre, aut obscurum, aut eiusmodi, quod silentio posset praeteriri. nam & cū

L 2 consulibus,

morder Pompeium ut immemorem beneficii habuerat enim Cicero rationem pro lege Manilia de bello Mithridatico illi demandando.

ut Crassi, aut Caesaris, qui cōiuratos non esse interficiendos sensit.

proficiscebatur Crassus ad bellum Parthicum.

Domitio, &  
Appio.

fuerat enim si-  
mulcas inter e-  
os. Plutarchus.

leuius est, quā  
alienarunt: &  
huius immuga-  
tionis causam  
in alios cōfert.

Suet. in Iulio  
filijs, Marcus, &  
Publius; quorū  
Marcus Caela-  
ris in Gallia  
quaestor, Pu-  
blus legatus  
fuit. Caesar de  
bel. Gal.

cōsulibus, & cum multis consularibus tanta  
contentione decertavi, quanta numquam antea  
ulla in causa: suscepique mihi perpetuam propu-  
gnationem pro omnibus ornamentis tuis: uete-  
riq. nostrae necessitudini iamdiu debitum, sed  
multa uarietate temporum intēruptum officium  
cumulate reddidi. Neque mehercule umquam  
mihi tui aut colendi, aut ornandi uoluntas defuit:  
sed quaedam pestes hominum, laude aliena dolen-  
tium, & te nō numquam a me alienarunt, & me  
aliquando immūt arunt tibi. sed exstitit tempus  
optatum mihi magis, quam speratum, ut, flo-  
rentissimis tuis rebus, mea perspici posset & me-  
moria nostrae uoluntatis, & amicitiae fides. sum  
enim consecutus, non modo ut domus tua tota, sed  
ut cuncta ciuitas me tibi amicissimum esse cogno-  
sceret. itaque et praestantissima omnium femina-  
rum uxōr tua, & eximia pietate, uirtute, gratia  
tūi Crassi meis consilijs, monitis, studijs, actio-  
nibusq. nituntur: et senatus, populusq. R. intel-  
ligit, tibi absenti nihil esse tam promptum, aut  
tam paratum, quam in omnibus rebus, quae ad  
te pertineant, operam, curam, diligentiam, aucto-  
ritatem meam. Quae sint acta, quaeq. agantur,  
domesticorum tibi litteris declarari puto. De  
me sic existimes, ac tibi persuadeas uehemen-  
ter uelim; non me repentina aliqua uolunta-  
te, aut fortuito ad tuam amplitudinem meis of-  
ficijs amplectendam incidisse, sed, ut primum  
forum

forūm attigerim, spectasse semper, ut tibi possem  
 quammaxime esse coniunctus. quo quidē ex tem-  
 pore, memoria teneo, neque meam tibi obseruan-  
 tiam, neque mihi tuam summam beneuolentiā,  
 ac liberalitatem defuisse. si qua interciderunt,  
 non tam re, quam suspicione uiolata; ea cum fue-  
 rint & falsa, & inania, sint euulsa ex omni me-  
 moria, uitaq. nostra. is enim tu uir es, & eum  
 me esse cupio, ut, quoniam in eadem reip. tem-  
 pora incidimus, coniunctionem, amicitiamq. no-  
 stram utrique nostrum laudis sperem fore. Quam-  
 obrem tu, quantum tuo iudicio tribuendum nobis  
 esse putes, statues ipse, & ut spero, status ex  
 nostra dignitate: ego uero tibi profiteor, atque  
 polliceor eximium, & singulare meum studium  
 in omni genere officij, quod ad honestatem, &  
 gloriam tuam spectet. in quo, etiam si multi  
 mecum contendunt, tamen, cum reliquis o-  
 mnibus, tum Crassis tuis iudicibus, omnes fa-  
 cile superabo: quos quidem ego ambos unice di-  
 ligo, sed in Marco beneuolentia impari: hoc ma-  
 gis sum Pūbio deditus, quod me, quamquam a  
 pueritia sua semper, tamen hoc tempore maxi-  
 me, sicut alterum parentem, & obseruat, & di-  
 ligit. Has litteras uelim existimēs foederis habi-  
 turas esse uim, non epistolae; meq. ea, quae ti-  
 bi promitto, ac recipio, sanctissime esse obserua-  
 turum, diligentissimeque facturum. Quae a  
 me suscepta defensio est, te absente, dignitatis  
 tuae,

ab ineunte igitur adoleſcen-  
 tia. nam adole-  
 ſcētes uirili to-  
 ga ſūpta anno  
 aetatis x v i i .  
 in forum ibāt.

paria officia  
 modeste pō-  
 ſulat.

ep. i. lib. 10.

hic enim Cice-  
 ronī patrem cō-  
 ciliauit. uide  
 Plurarchum in  
 Crasso.

uide ep. 5.

epist. 5.

idem ep. 8. 1. 6.

auge copiam ex  
aliis locis, ep.  
3. 4. & 6. 1. 1.quo tenentur  
amici tui, hospi-  
tes, clientes.captat beneuo-  
lentiam a com-  
memoratione  
accepti benefi-

tuae, in ea iam ego non solum amicitiae nostrae, sed etiam constantiae meae causa permanebo. quamobrem satis esse hoc tempore arbitratus sum, hoc ad te scribere; me, si quid ipse intelligerem aut ad uoluntatem, aut ad commodum, aut ad amplitudinem tuam pertinere, mea sponte id esse facturum; sin quippiam aut a te essem admonitus, aut a tuis, effecturum, ut intelligeres, nihil neque te scripsisse, neque quemquam tuorum frustra ad me detulisse. quamobrem uelim ita & ipse ad me scribas de omnibus minimis, maximis, mediocribusque rebus, ut ad hominem amicissimum; & tuis praecipias, ut opera, consilio, auctoritate, gratia mea sic utantur in omnibus publicis, priuatis, forensibus, domesticis tuis, amicorum, hospitum, clientum tuorum negotijs, ut, quoad eius fieri possit, praesentiae tuae desiderium meo labore minuat. Vale.

A. R. G. Vatinius, ex consulari a Caesare dictatore in Illyricum missus, commendat suam dignitatem Cicero contra maleuolorum obretractationes.

P. Vatinius imp. s. d. Cicero suo. 9

SI uales, bene est; ego ualeo. Si tuam consuetudinem in patrocinijs tuendis seruas, P. Vatinius cliens ad te uenit, qui pro se causam dicier uult. non puto repudiabis in honore, quem in periculo recepisti. ego autem quem potius adoptem, aut inuocem, quam illu, quo defendente uincere didici? an uerear, ne, qui potentissimi

omnium



morum hominum conspirationem neglexerit pro  
 mea salute, is pro honore meo, pusillorum, ac  
 maleuolorum obtrectationes, & inuidias non  
 prosternat, atque obterat? Quare, si me, sicut  
 soles, amas; suscipe me totum, atque hoc, quid-  
 quid est oneris, ac muneris, pro mea dignita-  
 te tibi tuendum, ac sustiendum puta. scis meam  
 fortunam nescio quo modo facile obtrectatores  
 inuenire, non meo quidem mehercule merito: sed  
 quanti id refert, si tamen fato nescio quo accidit?  
 si quis forte fuerit, qui nostrae dignitati obesse ue-  
 lit; peto a te, ut tuam consuetudinem, & libe-  
 ralitatē in me absente defendendo mihi praestes.  
 Litteras ad senatum nostris de rebus gēstis quo  
 exemplo miseram, infra tibi perscripsi. Dicitur  
 mihi tuus seruus anagnostes fugitiuus cum Var-  
 daeis esse: de quo tu mihi nihil mandasti: ego  
 tamen, terra, mariq. ut conquireretur, prae-  
 mandaui: & profecto tibi illum reperiam, nisi si  
 in Dalmatiam aufuerit: & inde tamen aliquan-  
 do erua. Tu nos fac ames. Vale. ad v. id. Quinct.  
 ex castris, Narona.

cii. de quo be-  
 neficio Valeri-  
 us Max. l. 4. c. 2

ep. 7. l. 1. & 3.  
 l. 2.

in Dalmatia.

de hoc seruo ui-  
 de ep. 77. l. 13.

Dalmatiae no-  
 men ab urbe  
 Dalmato dedu-  
 ctum, signifi-  
 cat Strabo l. 7.

A R G. Scribit haec, de Dionysio Ciceronis seruo, de Ca-  
 tilio pirata, de rebus a se in Dalmatia gestis, pro quibus sub-  
 plicationes sibi decerni postulat.

Vatinius imp. s. d. Ciceroni. 10

SI uales, bene est: ego quidem ualeo. De Dio-  
 nysio tuo adhuc nihil extrico, & eo minus,  
 quoa me frigus Dalmaticum, quod illinc eiecit,

L 4 etiam

cum neque seruum possim inuenire, neque de Catilio, quod petis, facile concedere.

si essem ita impudens, ut est Appius, ore scilicet durissimo

relatio ad senatum consulum erat, & consul erat Caesar.

etiam hic refrigeravit. sed tamen non desistam, quin illum aliquando eruam. Sed tamen omnia mihi durã imperas. de Catilio nescio quid ad me scripsisti deprecationis diligentissimae. apage tecum nostro Sex. Seruilio: nam mehercule ego illum quoque amo. sed huiuscemodi uos clientes, huiusmodi causas recipitis? hominem unum omnium crudelissimum, qui tot ingenuos, matres familias, ciues R. occidit, arripuit, disperdidit, regiones uastauit? simius, non semissis homo, contra me arma tulit; & eum bello cepi. sed tamen, mi Cicero, quid facere possum? omnia mehercule cupio, quae tu mihi imperas. meam animaduersionem, & supplicium, quo usurus eram in eum, quem cepissem, remitto tibi, & condono. quid illis repondere possum, qui sua bona direpta, naues expugnatas, fratres, liberos, parentes occisos, actione expostulant? si mehercule Appij es haberem, in cuius locum suffectus sum; tamen hoc sustinere non possem. quid ergo est? faciam omnia sedulo, quae te sciam uelle. defenditur a Q. Volusio, tuo discipulo. si forte ea res poterit aduersarios fugare, in eo maxima spes est. Nos, si quid erit istic opus, defendes. Caesar adhuc mihi iniuriam facit: de meis supplicationibus, & rebus gestis Dalmaticis adhuc non refert: quasi uero non iustissimi triumphum in Dalmatia res gesserim. nam, si hoc expectandum sit, dum totum bellum conficiam: uiginti

ginti opida sunt Dalmatiae antiqua: quae ipsi Dalmatae .  
sibi adsciuerunt, amplius sexaginta. haec nisi o-  
mnia expugno, si mihi supplicationes non decer-  
nuntur; longe alia condicione ego sum, ac ceteri  
imperatores.

Ego, post supplicationes mihi decretas, in Dal-  
matiam profectus sum: sex opida ui oppugnan-  
do cepi: unum hoc, quod erat maximum, quater  
a me iam captum: quattuor enim turres, et quat-  
tuor muros cepi, & arcem eorum totam: ex qua  
me niues, frigora, imbres detruferunt: indigne-  
que, mi Cicero, opidum captum, & bellum iam  
confectum relinquere sum coactus. Quare te ro-  
go, si opus erit, ad Caesarem meam causam agas,  
meq. tibi in omnes partes defendendum putes, ep. 10.1.  
hoc existimans, neminem te tui amantiorem ha-  
bere. Vale. nonis Dec. Narona.

ARG Suum studium erga uxorem Vatinij, ipsumq. Va-  
tiniū significat. rogat deinde, ut omnino sibi remittat  
seruum suum fugitiuum Dionysium.

Cicero s. D. Vatinio imp.

II epistolam Vati-  
nij, cui haec re-  
spondet, peris-  
se constat.

GRATA tibi esse officia mea, non miror.  
cognoui enim te gratissimum omnium; idq. num-  
quam destiti praedicare. nec enim tu mihi gra-  
tiam modo habuisti, uerum etiam cumulatissi-  
me retulisti, quamobrem reliquis tuis rebus o-  
mnibus pari me studio erga te, & eadem uolun-  
tate cognosces. Quod mihi feminam primariam  
Pompeiam, uxorem tuam, commendas: cum

Sura

Surra nostro statim, tuis litteris lectis, locutus  
 sum, ut ei meis uerbis diceret, ut, quidquid o-  
 pus esset, mihi denunciaret; me omnia, quae ea  
 uellet, summo studio, curaq. facturum: itaq. fa-  
 ciam; eamque, si opus esse uidebitur, ipse con-  
 ueniam. tu tamen ei uelim scribas, ut nullam  
 rem neque tam magnam, neque tam paruam pu-  
 tet, quae mihi aut difficilis, aut parum me digna  
 uideatur. omnia, quae in tuis rebus agam, &  
 non laboriosa mihi, et honesta uidebuntur, De  
 Dionysio, si me amas, confice. quamcumque ei  
 fidem dederis, praestabo. si uero improbus fue-  
 rit, ut est; duces eum captiuum in triumpho.  
 Dalmatis dii male faciant, qui tibi molesti sunt:  
 sed, ut scribis, breui capientur, & illustrabunt  
 res tuas gestas: semper enim habiti sunt belli-  
 cosi. Vale.

apparet, Diony-  
 sium in manu  
 Vatiniij fuisse.

A R G. Luceium, historiarum scriptorem, rogat, ut de  
 rebus a se in consulatu gestis separatim uolumen conficiat:  
 quod illustrius uidebatur.

Cicero s. d. L. Luceio Q. F. 12

hanc epistolam  
 ipse bellam uo-  
 cat in epistola  
 6. lib. 4. ad At-  
 ticum.

C O R A M me tecum eadem haec agere saepe  
 conantem deterruit pudor quidam paene sub-  
 rusticus: quae nunc expromam absens auda-  
 cius: epistola enim non erubescit. Ardeo cupidi-  
 tate incredibili, neque, ut ego arbitror, repre-  
 hendenda, nomen ut nostrum scriptis illustretur,  
 et celebretur tuis. quod etsi mihi saepe ostendis te  
 esse facturum: tamen ignoscas uelim huic festina-  
 tioni meae. genus enim scriptorum tuorum etsi  
 erat

erat semper a me uehementer expectatum; tamen uicit opinionem meam; meque ita uel cepit, uel incendit, ut cuperem quam celerrime res nostras monumentis commendari tuis. non enim me solum commemoratio posteritatis ad spem quandam immortalitatis rapit, sed etiam illa cupiditas, ut uel auctoritate testimonij tui, uel indicio beneuolentiae, uel suauitate ingenij uiui perfruemur. Neque tamen, haec cum scribebam, eram nescius, quantis oneribus premerere susceptarum rerum, & iam institutarum. sed, quia uidebam Italicum belli, & ciuilem historiam iam paene a te esse perfectam; dixeras autem mihi, te reliquas res ordiri: deesse mihi nolui, quin te admonerem, ut cogitares, coniuncte ne mallet cum ceteris rebus nostra contexere, an, ut multi Graeci fecerunt, Callisthenes Troicum bellum, Timaeus Pyrrhi, Polybius Numantinum, qui omnes a perpetuis suis historijs ea, quae dixi, bella separauerunt; tu quoque item ciuilem coniurationem ab hostilibus, externisque bellis seiungeres. equidem ad nostram laudem non multum uideo interesse: sed ad properationem meam quiddam interest, non te expectare, dum ad locum uenias, ac statim causam illam totam, & tempus arripere. Et simul, si uno in argumento, unaque in persona mens tua tota uersabitur; cerno iam animo, quanto omnia uberiora, atque ornatiora futura sint. Neque

laudatio ad colligendam beneuolentiam.

belli socialis: cum socijs, se ciuitate exerosos indignati, arma sumpserunt.

Catilinariam.

ut etiam & de ciuili coniuratione, & de me uno, a quo est extincta, cogi res.

Isse de oratione  
quod in oratione  
de oratione

quae nihil prae-  
ter ueritatem  
concedunt.

apud Xenophō-  
tem lib. 2. Me-  
morabilem, &  
de off. l. 1.

ab exilio.

eū te publicae  
mutationis pe-  
ritum ostēdes.

notae Pompe-  
ium, & alios, a  
quibus contra  
fidem, & amici-  
tiam proditus  
est; ut Clodio  
gratificaretur.

que tamen ignoro, quam imprudenter faciam, qui primū tibi tātum oneris imponam, ( potest enim mihi denegare occupatio tua ) deinde etiam, ut ornēs me, postulem. quid, si illa tibi non tanto-pere uidentur ornanda? sed tamen, QUI semel uerecundiae fines transierit, eum bene, & nauiter oportet esse impudentem. itaque te plane etiam atque etiam rogo, ut & ornēs ea uehementius etiam, quam fortasse sentis; & in eo lēges historiae negligas; gratiamq. illam, de qua suauissime quodam in prooemio scripsisti, a qua te affici non magis potuisse demonstras, quam Herculem Xenophōntium illum a uoluptate, ea si me tibi uehementius commendabit, ne aspernere; amoriq. nostro plusculum etiam, quam concedit ueritas, largiare. Quod si te adducemus, ut hoc suscipias: erit, ut mihi persuadeo, materies digna facultate, & copia tua. a principio enim coniurationis usque ad rēditū nostrum uidetur mihi modicum quoddā corpus confici posse. In quo & illa poteris uti ciuiliū commutationum sciētia, uel in explicandis causis rerum nouarum, uel in remedijs incommodorum; cum & reprehendes ea, quae uituperanda duces: &, quae placebunt, exponendis rationibus comprobabis; &, si liberius, ut consuesti, agendum putabis, multorum in nos perfidiam, insidias, proditionem notabis. multam etiam casus nostri tibi uarietatem in scribendo

suppe-



suppeditabunt, plenam cuiusdam uoluptatis, quae uehementer animos hominum in legendo scripto retinere possit. NIHIL est enim aptius ad delectationem lectoris, quam temporu uarietates, fortunaeq. uicissitudines: quae etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt iucundae. HABET enim praeteriti doloris secreta recordatio delectationem; ceteris uero, nulla perfunctis propria molestia, casus alienos sine ullo dolore intuentibus, etiam ipsa misericordia est iucunda. Quem enim nostrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miseratiōne delectat? qui tum denique sibi auelli iubet spiculum, postea quam ei percunctanti dictum est, clypeum esse saluum: ut etiam in uulneris dolore aequo animo cum laude moreretur. Cuius studium in legendo non erectum Themistoclis fuga, redituq. retinetur? etenim ordo ipse annalium mediocriter nos retinet quasi enumeratione fastorum: at uiri saepe excellentis ancipites, uarijque casus habent admirationem, expectationem; laetitiam, molestiam; spem, timorem: si uero exitu notabili concluduntur, expletur animus iucundissimae lectionis uoluptate. quo mihi acciderit optatius, si in hac sententia fueris, ut a continentibus tuis scriptis, in quibus perpetuam rerum gestarum historiam cōplecteris, secernas hanc quasi fabulam rerum, euentorumq. nostrorum. *habet enim*

miseratio ex illius interitu, delectatio ex animi constantia, & amore erga suos. uide historiam apud Aemilium Probum, Iustinum l. 6. & Strabonem l. 8.

ratio, cur fabulam dixerit.

amouet se sus-  
spicionem as-  
sentationis.

Pli. l. 7. c. 37.  
Hor. ep. 1. 1. 2.

actiue posuit,  
pro ijs, qui nō  
nouerant, anti-  
qua figura, de  
qua uide scho-  
lium.

Dio Chryso-  
stomus i orat. Co-  
rinthiaca.

a persona Luc-  
ceii.

Corinthio Pro-  
bus, & Plutar-  
chus.

enim uarios actus, multasq. actiones & consi-  
liorum, & temporum. Ac non uereor, ne as-  
sentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam  
uidear, cum hoc demonstrum, me a te potissimum  
ornari, celebrariq. uelle. neque enim tu is es,  
qui, quid sis, nescias; & qui non eos magis,  
qui te non admirentur, inuidos, quam eos, qui  
laudent, assentatores arbitrere. neque autem e-  
go sum ita demens, ut me sempiternae gloriae  
per eum commendari uelim, qui non ipse quoque  
in me commendando propriam ingenij gloriam  
consequatur. neque enim Alexander ille gratiae  
caussa ab Apelle potissimum pingi, & a Lysippo  
fingi uolebat, sed quod illorum artem cum ipsis,  
tum etiam sibi gloriae fore putabat. atque illi ar-  
tifices, corporis simulacra ignotis nota faciebant:  
quae uel si nulla sint, nihilo sunt tamen obscurio-  
res clari uiri. nec minus enī est Spartiates Agesi-  
laus ille perhibendus, qui neque pictam, neque fi-  
ctam imaginem suam passus est esse, quam qui  
in eo genere laborarunt. unus enim Xenophon-  
tis libellus in eo rege laudando facile omnes ima-  
gines omnium, statuasq. superauit. Atque hoc  
praestantius mihi fuerit & ad laetitiam animi, et  
ad memoriae dignitatē, si intū a scripta peruene-  
ro, quam si in ceterorū; quod nō ingenium mihi so-  
lum suppeditatū fuerit tuum, sicut Timoleonti a  
Timaeo, aut ab Herodoto Temistocli, sed etiā au-  
toritas clarissimi, et spectatissimi uiri, et in reip.  
maxi-



maximis, grauissimisq. causis cogniti, atque in primis probati: ut mihi non solum praeconium, quod, cum in Sigaeum uenisset, Alexander ab Homero Achilli tributum esse dixit, sed etiam graue testimonium impertitum clari hominis magniq. uideatur. placet enim Hoctor ille mihi Naeuianus, qui non tantum laudari se laetatur, sed addit etiam, a laudato uiro. Quod si a te non impetro; hoc est, si qua te res impedierit: (neque enim fas esse arbitror, quidquam me rogantem ab te non impetrare) cogar fortasse facere, quod non nulli saepe reprehendunt: scribam ipse de me, multorum tamen exemplo, & clarorum uirorum. sed, quod te non fugit, haec sunt in hoc genere uitia: & uerecundius ipsi de sese scribant, necesse est, si quid est laudandum; & praetereant, si quid forte reprehendendum est. accedit etiam, ut minor sit fides, minor auctoritas, multi denique reprehendant, & dicant uerecundiores esse praecones ludorum gymnycorum, qui, cum ceteris coronas imposuerint uictoribus, eorumq. nomina magna uoce pronunciarint, cum ipsi ante ludorum missionem corona donentur, alium praeconem adhibeant, ne sua uoce ipsi se uictores esse praedicent. haec nos uitare cupimus, & si recipis causam nostram, uitabimus: idq. ut facias, rogamus. Ac, ne forte mirere, cur, cum mihi saepe ostenderis te accuratissime nostrorum temporum consilia, atque euentus literis

nō satis est res  
praeclaras ge-  
rere, sed scri-  
ptore etiam ex-  
cellēti opus est

apud Naeuium,  
poetā. ep. 6. l. 16

argumentum  
ab amicitia.

causae, quae  
ipsum a scriben-  
do de sese de-  
terreant.

plus significa-  
uit, quam si di-  
xisset, cupidi-  
nam in alacritate  
re metus est.  
summae laeti-  
tiae index.

teris mandaturum, a te id nunc tantopere, & tam multis uerbis petamus: illa nos cupiditas incendit, de qua initio scripsi, festinationis, quod alacres animo sumus, ut & ceteri, uiuentibus nobis, ex libris tuis nos cognoscant, & nosmet ipsi uiui gloriola nostra persfruamur. His de rebus quid acturus sis, si tibi non est molestum, rescribas mihi uelim. si enim suscipis causam; conficiam commentarios rerum omnium. sin autem differs me in tempus aliud; coram tecum loquar. tu interea non cessabis; & ea, quae habes instituta, perpolies; nosq. diliges. Vale.

A R G Significat, Lucceij litterae consolatoriae quantum profecerunt ad eam sollicitudinem minuendam, quam ex afflictâ rep. capiebat.

Cicero s. D. Lucceio. 13

notandum ad  
nostram imita-  
tionem, quae  
uerba simul ac-  
tulêrit ad perfici-  
endam, exor-  
mandamq. trã-  
sationem.

Q V A M Q V A M ipsa consolatio litterarum tuarum mihi gratissima est; declarat enim summam beneuolentiam coniunctam pari prudentia: tamen illum fructum ex ijs litteris uel maximum cepi, quod te praeclare res humanas contemnentem, & optime contra fortunam paratum, armatumq. cognoui. quam quidem laudem sapientiae statuo esse maximam, NON aliunde pendere, nec extrinsecus aut bene, aut male uiuendi suspensas habere rationes. quae cogitatio cum mihi non omnino excidisset, ( etenim penitus infederat ) ui tamen tempestatum, & concursu calamitatum erat aliquantum labefactata,

AD METELLVM, ET ALIOS. 81

factata, atque conuulsa: cui te opitulari et uideo,  
 & id fecisse etiam proximis litteris, multumq.  
 profecisse sentio. itaque hoc saepius dicendum,  
 tibiq. non significandum solum, sed etiam decla-  
 randum arbitror, nihil mihi esse potuisse tuis lit-  
 teris gratius. Ad consolandum autem cum illa  
 ualent, quae eleganter, copioseq. collegisti; tum  
 nihil plus, quam quod firmitudinem, grauita-  
 temq. animi tui perspexi; quam non imitari, tur-  
 pissimum existimo. itaque hoc etiam fortio-  
 rem me puto, quam te ipsum praeceptorem fortitudi-  
 nis, quod tu mihi uideris spem non nullam habe-  
 re, haec aliquando futura meliora: casus enim  
 gladiatorij, similitudinesq. eae, tum rationes in  
 ea disputatione a te collectae, uetabant me reip.  
 penitus diffidere. itaque alterum minus mirum,  
 fortio-rem te esse, cum aliquid speres: alterum mi-  
 rum, spe ulla teneri. quid est enim non ita affe-  
 ctum, ut id non deletum, exstinctumq. omne esse  
 fateare? circumspice omnia membra reip. quae  
 notissima sunt tibi: nullum reperies profecto,  
 quod non fractum, debilitatum ue sit. quae per-  
 sequerer, si aut melius ea uiderem, quam tu uides;  
 aut commemorare possem sine dolore, quamquam  
 tuis monitis, praeceptisq. omnis est abiiciendus  
 dolor. ergo & domestica feremus, ut censes, &  
 publica paullo etiam fortius fortasse, quam tu  
 ipse, qui praecipis. te enim spes aliqua consola-  
 tur, ut scribis; nos autem erimus etiam in omni  
 M desperatione

ab exemplo.

atque, magis  
 placeret.

eo spectabant,  
 ne prorsus de  
 rep. desperare.

Tulliolarum mor-  
 tem.



quia semper o-  
prime de reip.  
senti.  
Carilinae con-  
iurationem si-  
gnificat.

ad studiū philo-  
sophiae: quod  
coluit maxime  
post afflictam  
temp.

ab urbe.

desperatione fortes, ut tu tamen idē et hortaris,  
& praecipis. das enim mihi iucundas recorda-  
tiones cōscientiae nostrae, rerumq. earum, quas,  
te in primis auctore, gessimus. praestitimus enim  
patriae non minus certe, quam debuimus, plus  
profecto, quam est ab animo cuiusquam, aut con-  
silio hominis postulātū. Ignosces mihi de me ipso  
aliquid praedicanti. quarum enim tu rerum cogi-  
tationes nos leuare aegritudine uoluisti, earum  
etiam commemoratione lenimur. itaque, ut mo-  
nes, quantum potero, me ab omnibus molestiis,  
& angoribus abducam: transferamq. animum  
ad ea, quibus secundae res ornantur, aduersae  
adiuantur: tecumq. & ero tantum, quantum  
patietur utriusque aetas, & ualetudo; & si esse  
una minus poterimus, quam uolumus, animorum  
tamen coniunctione, iisdem studiis ita fruemur, ut  
numquam non una esse uideamur. Vale.

A A G. Caussam quaerit, cur Cicero ab urbe tam diu ab-  
sit: hortaturque, ut animum a maerore abducatur.

Luceius s. D. Ciceroni.

14

SI uales, bene est. ego ualeo, sicut soleo, paul-  
lulo tamen etiam deterius, quam soleo. Te requisi-  
ui saepius, ut uiderem. Romae quia postea non fui-  
sti, quam a me discesseras, miratus sum: quod  
item nunc miror. non habeo certum, quae te res  
hinc maxime retrahat. si solitudine delectare,  
cum scribas, & aliquid agas eorum, quorum con-  
suesti:

suesti: gaudeo, neque reprehendo tuum consilium: nam nihil isto potest esse iucundius, non modo miseris his temporibus, et luctuosis, sed etiam tranquillis, & optatis, praesertim uel animo defatigato tuo, qui nunc requiem quaerat ex magnis occupationibus, uel erudito, qui semper aliquid ex se promat, quod alios delectet, te ipsum laudibus illustret. sin autem, sicut hic dum eras, lacrymis, & tristitiae te tradidisti: doleo, quia doles, & angere: non possum te non, si concedis, quod sentimus, ut liberius dicamus, accusare. quid enim? tu solus aperta non uidebis, qui propter acumen occultissima perspicis? tu non intelliges te querellis quotidianis nihil proficere? non intelliges duplicari sollicitudines, quas eleuare tuate prudentia postulat? quod si non possumus aliquid proficere suadendo; gratia contendimus, & rogando; si quid nostra causa uis, ut istis te molestijs laxes, & ad conuictum nostrum redeas, & ad consuetudinem uel nostram communem, uel tuam solius, ac propriam. Cupio non obtundere te, si non delectare nostro studio: cupio deterrere, ne permanear in incepto: cum duae res istae contrariae me conturbent: ex quibus aut in altera mihi uelim, si potes, obtemperes; aut in altera non offendas. Vale.

id est, te querellis nihil proficere.

augetur enim dolor retractando.

aut cum amicis, ut solebas, uide. aut saltem solus hilariter.

pro offendaris, ut etiam ep. 1. lib. 1. ad Q. fr.

A R G. Quaerenti Luccio, cur ab urbe abesset, eiusque maerorem minuere conanti, respondet, & cur doleat, & cur in urbe non uiuat.



non tam ob a-  
misionē reip.  
quam ob ami-  
corum aut inte-  
ritum, aut ab-  
sentiam. quidā  
enim obdurue-  
rant, ut in pa-  
triam libertate  
spoliata redi-  
te nollent.

ep. x. l. x. et  
16. l. xi.

ob interitum fi-  
liac. ep. 6. l. 4.

OMNIS amor tuus ex omnibus partibus se ostendit in ijs litteris, quas a te proxime accepi, non ille quidem mihi ignotus, sed tamen gratus, & optatus: dicerem, iucundus, nisi id uerbum in omne tempus perdidissem, neque ob eam unā causam, quam tu suspicaris, & in qua me, lenissimis, & amantissimis uerbis utens, re grauius accusas; sed quod illius tanti uulneris quae remedia esse debebant, ea nulla sunt. quid enim? ad amicos ne confugiam? quam multi sunt? habuimus enim fere communes: quorum alij occiderunt, alij nescio quo pacto obduruerunt. tecum uiuere possem equidem, & maxime uellem. uetustas est, amor, consuetudo, studia paria. quod uinculum, quae res deest nostrae coniunctioni? possumus ne igitur esse una? nec mehercule intelligo, quid impediatur: sed certe adhuc non fuimus cum essemus uicini in Tusculano, in Puteolano: nam, quid dicam, in urbe? in qua, cum forum commune sit, uicinitas non requiritur. sed, casu nescio quo, in ea tempora nostra aetas incidit, ut, cum maxime florere nos oporteret, tum uiuere etiam pueret. quod enim mihi poterat esse per fugium spoliato & domesticis, & forensibus ornamentis, atque solatijs? litterae, credo, quibus utor assidue: quid enim aliud facere possum? sed nescio quo modo ipsae illae excludere me a portu, & per fugio uidentur, et quasi exprobrare

bräre, quod in ea vita maneam, in qua nihil insit, nisi propagatio miserissimi temporis. Hic tu ea me abesse urbe miraris, in qua domus nihil delectare possit, summum sit odium temporum, hominum, fori, cūriæ? itaque litteris utor, in quibus consumo omne tempus, non ut ab his medicinam perpetuam, sed ut exiguam doloris obliuionem petam. quod si id egissemus ego, atque tu; quod ne in mentem quidem nobis ueniebat propter quotidianos metus: omne tempus una fuissimus; neque me ualetudo tua offenderet, neque te maeror meus. quod, quantum fieri poterit, consequamur, quid enim utrique nostrum aptius? propediem te igitur uidebo. Vale.

oderunt enim turpia. turpissimum autem, seruire.

in foro causas agere solebat, in curia sententiam de rep. dicere.

post Pharsalicā pugnam statim enim Cicero in Italiam rediit.

A R G. Consolatur diligenter in primis amicum, filii obitum immoderatus ferentem.

Cicero s. d. Titio.

16

ET SI unus ex omnibus minime sum ad consolandum accommodatus; quod tantum ex tuis molestiis cepi doloris, ut consolatione ipse egerem; tamen, cum longius a summi luctus acerbitate meus abesset dolor, quam tuus, statui nostrae necessitudinis esse, meaeque in te beneuolentiae, non tacere tanto in tuo maerore tam diu, sed adhibere aliquam modicam consolationem, quae leuare dolorem tuum posset, si minus sanare potuisset. Est autem consolatio peruulgata quidem illa maxime, quā semper in ore, atque in animo habere debemus; H O M I N E S, nos

communicatio doloris, consolatio est.

uterque enim reip. malis angimur, tu etiā proprijs.

stultum est, cōmunem legem recusare.

M 3 ut

expositi omni-  
bus fortunae  
telis.

qui est miseri-  
mus; ut bono  
uiro iucunda ui-  
ra esse non pos-  
sit.

quasi tunc nulla  
profus esset.

quod probare  
studet in lib. de  
senectute.

ut esse meminerimus, ea lege natos, ut omnibus fortunae telis proposita sit uita nostra; neque esse recusandum, quo minus ea, qua nati sumus, condicione uiuamus; ne ue tam grauius eos casus feramus, quos nullo consilio uitare possumus; euentisq. aliorum memoria repetendis, nihil accidisse nobis noui cogitemus. neque haec, neque ceterae consolationes, quae sunt a sapientissimis uiris usurpatae, memoriaeq. litteris proditae, tantum uidentur proficere debere, quantum stâtus ipse nostrae ciuitatis, & haec perturbatio temporum perditorum; cum beatissimi sint, qui liberos non susceperunt; minus autem miseri, qui his temporibus amiserunt, quam si eosdem bona, aut denique aliqua rep. perdidissent. Quod si tuum te desiderium mouet; aut si tuarum rerum cogitatione maeres: non facile exhauriri tibi istum dolorem posse uniuersum puto. Sin illa te res cruciat, quae magis amoris est, ut eorum, qui occiderunt, miseras lugeas: ut ea non dicam, quae saepissime & legi, & audiui, nihil mali esse in morte; in qua si resideat sensus, immortalitas illa potius, quam mors, ducenda sit; sin sit amissus, nulla uideri miseria debeat, quae non sentiatur; hoc tamen non dubitans, confirmare possum, ea miseri, parari, impendere reip. quae qui reliquerit, nullo modo mihi quidem deceptus esse uideatur. quid est enim iam nō modo pudori, probitati, uirtuti,



uirtuti, rectis studijs, bonis artibus, sed omnino libertati, ac saluti loci? non mehercule quemquam audiui hoc grauissimo, & pestilentissimo anno adolescentulum, aut puerum mortuum, qui mihi non a dijs immortalibus ereptus ex his miserijs, atque ex iniquissima condicione uitae uideretur. Quare si tibi unum hoc detrahi potest, ne quid ijs, quos amasti, mali putes contigisse: permultum erit ex maerore tuo deminutum. relinquetur enim simplex illa iam cura doloris tui, quae non cum illis communicabitur, sed ad te ipsum proprie referetur. in qua non est iam grauitatis, ac sapientiae tuae, quam tu a puero praestitisti, ferre immoderatus casum incommo-  
 dorum tuorum, qui sit ab eorum, quos dilexeris, miseria, maloq. seiunctus. etenim eum semper te & priuatis in rebus, & publicis praestitisti, tuenda tibi ut sit grauitas, & constantiae seruiendum. nam, quod allatura est ipsa diuturnitas, quae maximos luctus uetustate tollit, id nos praeripere consilio, prudentiaq. debemus. etenim si nulla unquam fuit, liberis amissis, tam imbecillo mulier animo, quae non aliquando lugendi modum fecerit: certe nos, quod est dies allatura, id consilio anteferre debemus, neque exspectare temporis medicinam, quam repraesentare ratione possimus. His ego litteris si quid proficissem, existimabam optandum quiddam me esse assecutum; sin minus forte ualuissent, officio tamen

cum eos uideas  
 nō hac luce esse priuatos, sed horum temporum miserias effugisse.

sapientem enim nulla re afficitur, praeterquam cui pa.

ep. 28. lib. 7.

statim, auideq. praecipere.

ante tempus consequi.

M 4 functum

fundum benevolentissimi, atque amicissimi: quem me tibi & fuisse semper, existimes uelim, & futurum esse confidas. Vale.

A R G. Excusat tarditatem litterarum: hortatur Sextium, ut exsilii casum sapienter, fortiterq. ferat.

Cicero s. D. P. Sextio P. F. 17

exsilium intel-  
ligit Sextij.

Milonis.

id est, cum iudi-  
cio condemna-  
tus esses.

NON obliuione amicitiae nostrae, neque intermissione consuetudinis meae, superioribus temporibus ad te nullas litteras misi, sed quod priora tempora in ruinis reip. nostrisq. iacuerunt, posteriora autē me a scribendo tuis iniustissimis, atque acerbissimis incōmodis retardarunt. cum uero & interuallum iam satis longum fuisset; & tuam uirtutem, animiq. magnitudinem diligentius essem mecum recordatus: non putavi esse alienum institutis meis, haec ad te scribere. Ego te, P. Sexti, & primis temporibus illis, quibus in inuidiam absens, & in crimen uocabere, defendi: & cum in tui familiarissimi iudicio, ac periculo tuum nomen coniungeretur, quam potui accuratissime te, tuamq. causam tutatus sum: & proxime recenti aduentu meo cum rē aliter institutam offendissem, ac mihi placuisset, si affuissem, tamen nulla re saluti tuae defui: cumq. eo tempore inuidia annonae inimici non solum tui, uerum etiam amicorum tuorum, iniquitas totius iudicij, multaq. alia reip. uitia plus, quam causa ipsa, ueritasq. ualuisent; Publio tuo neque epera, neque consilio, neque labore,

bore, neque gratia, neque testimonio defui. quamobrem, omnibus officijs amicitiae diligēter a me, sancteq. seruatis, ne hoc quidem praetermittendum esse duxi, te ut hortarer, rogaremq. ut & hominem te, & uirum esse meminisses; id est ut & communem, incertumq. casum, quem neque uitare quisquam nostrum, neque praestare ullo pacto potest, sapienter ferres; & dolori fortiter, ac fortunae resisteres; cogitaresq. & in nostra ciuitate, & in ceteris, quae rerum potitae sunt, multis fortissimis, atque optimis uiris, iniustis iudicijs, tales casus incidisse. Illud utinam ne uere scriberem, ea te rēp. carere, in qua neminem prudentem hominem res ulla delectet. De tuo autem filio, uereor, ne, si nihil ad te scripserim, debitum eius uirtuti uideat testimonium non cepisse; sin autem omnia, quae sentio, perscripserim, ne refricem meis literis desiderium, ac dolorem tuum. sed tamen prudentissime facies, si illius pietatem, uirtutem, industriam, ubicumque erit, tuam esse, tēcum esse duces. nec enim minus nostra sunt, quae animo complectimur, quam quae oculis intuemur. quamobrem & illius eximia uirtus, summusq. in te amor magnae tibi consolationi debet esse; & nos ceterique, qui te non ex fortuna, sed ex uirtute tua pendimus, semperq. pendemus; & maxime animi tui conscientia, cum tibi nihil merito accidisse reputabis; & illud adiunges, HOMI

hoc refertur ad dictionem, uirum.

ab exemplis.

a statu reip.

a Sextij filio.

omissa copula, ut ep. 24. & 28. lib. 12.

a iudicio amicorum.

quasi non iure  
damnatus esset

NE S sapientes turpitudine, non casu, & delicto suo, non aliorum iniuria, commoueri. Ego, & memoria nostrae ueteris amicitiae, et uirtute, atque obseruantia filij tui monitus, nullo loco deero neque ad consolandum, neque ad leuandum fortunam tuam. tu si quid ad me forte scripseris, perficiam, ne te frustra scripsisse arbitre. Vale.

A R G. Argumentis utitur septem, ut Fabium exulem consoletur.

Cicero s. d. T. Fabio. 18

a dolore suo.  
nā genus est cō  
solationis, cum  
nos quoque do  
lere significa  
mus.

a communi cō  
dicione.  
a temporum  
statu.

a comparatio  
ne uirtutis, &  
fortunaē.

a metu publi  
cae calamitatis

a spe restituti  
onis.

EST I egomet, qui te consolari cupio, consolandus ipse sum; propterea quod nullam rem grauius iamdiu tuli, quam incommodum tuum: tamen te magnopere non horror solum, sed etiam pro amore nostro rogo, atque oro, te colligas, uirumque praebear, & qua condicione omnes homines, & quibus temporibus nati sumus, cogites. Plus tibi uirtus tua dedit, quam fortuna abstulit: propterea quod adeptus es, quod non multi homines noui; amisisti, quod plurimi homines nobilissimi. Ea denique uidetur condicio impendere legum, iudiciorum, temporum, ut optime actum cum eo uideatur esse, qui quamleuissima poena ab hac rep. discesserit. Tu uero, qui & fortunas, & liberos habeas, & nos, ceterosque necessitudine, & beneuolentia tecum coniunctissimos; quiq. magnam facultatem sis habiturus nobiscum, & cū omnibus  
tuis

tuis uiuendi; & cum unum sit iudicium ex tam multis, quod reprehendatur, ut quod una sententia, eaq. dubia, potentiae alicuius condonatum existimetur: omnibus his de causis debes istam molestiam quamleuissime ferre. Meus animus erit in te, liberosq. tuos semper, quem tu esse uis, & qui esse debet. Vale.

ab opinione hominum.

ab officio suo.

AR G. Rufo, paullo ante quaestori suo in prouincia, suadet, ut in bello ciuili Pompeium sequatur.

Cicero s. D. Rufo.

E<sup>x</sup> I S I. mihi numquam dubium fuit, quin tibi essem carissimus: tamen quotidie magis id perspicio: exstatq. id, quod mihi ostenderas quibusdam litteris, hoc te studiosiorem in me colendo fore, quam in prouincia fuisses, (etsi, meo iudicio, nihil ad tuum prouinciale officium addi potest) quo liberius iudicium esse posset tuum. itaque me & superiores litterae tuae admodum delectauerunt, quibus & expectatum meum aduentum abs te amanter uidebam, & cum aliter res cecidisset, ac putasses, te meo consilio magno pere esse laetatum: & his proximis litteris magnum cepi fructum & iudicij, & officij tui: iudicij, quod intelligo, te, id quod omnes fortes, ac boni uiri facere debent, nihil putare utile esse, nisi quod reatum, honestumq. sit: officij, quod te mecum, quodcumque cepissem consilij, pollice ris, fore: quo neque mihi gratius, neque, ut ego arbitror, tibi honestius esse quidquam potest. Mi

19 aduerte in plerisque epistolis insinuationem esse quandam ad beneuolentiam in principio.

de ciuili parte eligenda.

hi

hi consilium captum iamdiu est: de quo ad te, nō quod celandus esses, nihil scripsi antea, sed quia communicatio consilij tali tempore quasi quaedā admonitio uidetur esse officij, uel potius efflagitatio ad coeundam societatem uel periculi, uel laboris. cum uero ea tua sit uoluntas, humanitas, bene uolentia erga me; libenter amplector talem animum, sed ita; (non enim dimittam pudorem in rogando meum) si feceris id, quod ostendis, magnam habebō gratiam; si non feceris, ignoscā; & altērum timori, alterum mihi te negare non potuisse arbitrabor. est enim res profecto maxima. quīd rectum sit, apparet; quid expediat, obscurum est, ita tamen, ut, si nos ijs sumus, qui esse debemus, id est studio digni, & litteris nostris, dubitare non possimus, quin ea maxime conducant, quae sunt rectissima. Quare tu, si simul placebit, statim ad me uenies: sin idem placebit, atque eodem, nec continuo poteris; omnia tibi ut nota sint, faciam. quidquid statueris, te mihi amicum; sin id, quod opto, etiam amicissimum iudicabo. Vale.

A R G. Purgatio Ciceronis ad Rufum, quaestorem antea suum in Cilicia, de rationibus prouincialibus. obscura epistola. sed adiciemus in margine, quae magnam partem illustrent.

Cicero s. D. Rufo. 20

hic est L. Mescinius Rufus, quaestor Ciceronis. ep. 26. lib. 13.

Q V O modo potuissem, te conuenissem, si eo, quo constitueras, uenire uoluisses. quare, etsi mei commodi causa commouere me noluisti: tamen

si te ciuilibus armis immisce-  
re nolueris.  
idem ep. 2. l. 4.

ut ad Pompeiū  
simul eamus.

quidquid statu-  
am & de disces-  
su, & de tempo-  
re.

tamen ita existimes uelim, me antelaturū fuisse, si ad me misisses, uoluntatem tuā commodo meo. si nunciasses te uenisse quo cōstitueras.

Ad ea, quae scripsisti, commodius equidem possem de singulis ad te rebus scribere, si M. Tullius, scriba meus, adesset: a quo mihi exploratum est, in rationibus dumtaxat referendis, (de ceteris rebus affirmare non possum) nihil eum fecisse scientem, quod esset contra aut rem, aut existimationem tuam; deinde, si rationum referendarum ius uetus, & mos antiquus maneret, me relaturum rationes, nisi tecum pro coniunctione nostrae necessitudinis contulisset, consecissemque, non fuisse. quod igitur fecissem ad urbem, si consuetudo pristina maneret; id, quando lege Iulia relinquere rationes in provincia necesse erat, easdemq. totidem uerbis referre ad aerarium, feci in provincia, neque ita feci, ut te ad meum arbitrium adducerem: sed tribui tibi tantum, quantum me tribuisse numquam paenitebit. totum enim scribam meum, quem tibi uideo nunc esse suspectum, tibi tradidi. tu ei M. Mindium, fratrem tuum, adiunxisti. rationes confectae me absente sunt tecum: ad quas ego nihil adhibui praeter lectionem. ita accepi librum a meo seruo scriba, ut eundem acceperim a fratre tuo. si honos is fuit, maiorem tibi habere non potui; si fides, maiorem tibi habui, quam paene ipsi mihi. si prouidendum fuit, ne quid aliter, ac tibi & honestum, & utile esset, referretur: non

mos uetus erat ut ad urbē is, qui proconsul erat, cum quae hore suo rationes conferret prius quam ad aerarium referret.

cōtuli eas tecū in prouicia ex Caesaris lege. uide ep. 17. lib. 2.

confectas a scriba meo & fratre tuo legi.

ep. 17. lib. 2.

queretur Rufus, quod rationes deferre ad aeriarii nimis properasset: quaedam enim corrigi copiebat.

quod Rufus perierat.

in rationes.

non habui, cui potius id negotij darem. Illud quidem certe functum est, quod lex iubebat, ut apud duas ciuitates, Laodicensem, & Apamensem, quae nobis maxime uidebantur, quoniam ita necesse erat, rationes confectas, et consolutas deponeremus. itaque huic loco primum respondeo, me, quamquam iustis de causis rationes deferre properarim, tamen te expectaturum fuisse, nisi in prouincia relictas rationes pro latis haberem. Quamobrem, de Volusio quod scribis, non est id rationum. docuerunt enim me periti homines, in his cum omnium peritissimus, tum mihi amicissimus C. Camillus, ad Volusium transferri nomen a Valerio non potuisse, sed praedes Valerianos teneri. neque id erat  $\text{H S X X X}$ , ut scribis, sed  $\text{X I X}$ . erat enim curata nobis pecunia Valerij mancipis nomine: ex qua, reliquum quod erat in rationibus, retuli. sed sic me & liberalitatis fructu priuas, & diligentiae, &, quod minime tamen laboro, mediocris etiam prudentiae: liberalitatis, quod maioris scribae mei beneficio, quam meo, legatum meum, praefectumq. maxima calamitate leuatos, cum praesertim non deberent esse obligati: diligentiae, quod existimas, de tanto officio meo, tanto etiam periculo nec scisse me quidquam, nec cogitasse scribam, quidquid uoluisset, cum id mihi ne recitasset quidem, retulisse: prudentiae, cum rem a me ne insipienter quidem cogitatam putas. nam

¶



& Volusii liberandi meum fuit consilium: &  
 ut multa cā grauis Valerianis praedibus, ipsiq.  
 T. Mario depellere iur, a me inita ratio est: quam  
 quidem omnes non solum probant, sed etiam lau-  
 dant. & si uerum scire uis, hoc uni scribae meo  
 intellexi non nimium placere. sed ego putauit esse  
 uiri boni, cum populis suum seruaret, consule-  
 re fortunis tot uel amicorum, uel ciuium. Nam  
 de Luceio est ita actum, ut auctore Cn. Pom-  
 peio ista pēcunia in fano poneretur. id ego agno-  
 ui meo iussu esse factum. qua pecunia Pompeius  
 est usus, ut tua, quam tu deposueras, Sextius.  
 sed hoc ad te nihil intelligo pertinere. Illud me  
 non animaduertisse moleste ferrem, ut adscribe-  
 rem, te in fano pecuniam iussu meo deposuisse,  
 nisi ista pecunia grauissimis esset, certissimisq. mo-  
 numentis testata, cui data, quo s. c. quibus tu-  
 is, quibus meis litteris P. Sextio tradita esset).  
 Quae cum uiderem tot uestigijs impressa, ut in  
 his errari non posset: non adscripsi id, quod tua  
 nihil referebat; ego tamen adscripsisse malle, m  
 quando id te uideo desiderare. Sicut scribis ti-  
 bi id esse referendum, idem ipse sentio: neque in  
 eo quidquam a meis rationibus discrepabunt  
 tuae. addes enim tu, meo iussu: quod ego num-  
 quam addidi: nec cassa est, cur negem; nec,  
 si esset, & tu nolles, negarem. Nam de HS  
 nongentis millibus, certe ita relatum est, ut tu,  
 siue frater tuus referri uoluit. sed, si quid est, quā  
 do

quā tu in fano  
 posuisti meo  
 iussu; quod nūc  
 quereris a me  
 esse in rationi-  
 bus referendis  
 praetermissum,

nō scripsi in ra-  
 tionibus, meo  
 iussu a te esse  
 positam.

racite ostendit,  
se nihil illius  
caussa facturū,  
quod per leges  
non liceat.

vide scholium.

qui rationes  
me absente cō-  
fecerant.

do de Luceio parum prouisum est, quod ego in  
rationibus referendis etiamnum corrigere pos-  
sim: de eo mihi, cum s. c. non sim usus, quid per  
leges liceat, considerandum est. te certe in pe-  
cunia exacta ita efferre ex meis rationibus rela-  
tis non oportuit: nisi quid me fallit: sunt enim  
alij peritiores. illud caue dubites, quin ego om-  
nia faciam, quae interesse tua, aut etiam uelle  
te existimem, si ullo modo facere possim. Quod scri-  
bis de beneficijs, scito a me tribunos militares,  
& praefectos, & contubernales dumtaxat meos  
delatos esse. in quo quidem ratio me fefellit. libe-  
rum enim mihi tempus ad eos deferendos existi-  
mabam dari: postea certior sum factus, triginta  
diebus deferri necesse esse, quibus rationis retu-  
lissim. sane moleste tui, non illa beneficia tuae  
potius ambitioni reseruata esse, quam meae, qui  
ambitione nihil uterer. de centurionibus tamen,  
et de tribunorum militariū contubernalibus res  
est in integro: genus enim horum beneficiorum de-  
finitum lege non erat. Reliquū est de HS. centum  
millibus: de quibus memini mihi a te Myrina lit-  
teras esse allatas, non mei errati, sed tui: in quo  
peccatum uidebatur esse, si modo erat, fratris tui,  
& Tullij. sed, cum id corrigi non pisset; quod  
iā depositis rationibus ex prouincia decessimus:  
credo me quidem tibi pro animi mei uoluntate,  
proq. ea spe facultatum, quam tum habeba-  
mus, quam humanissime potuerim scripsisse.  
sed

sed neque tum me humanitate mearum litterarum obligatum puto, neque tuam hodie epistolam de HS centum millibus sic accepisse, ut ij accipiunt, quibus epistolae per haec tempora molestae sunt. simul illud cogitare debes, me omnem pecuniam, quae ad me saluis legibus peruenisset, Ephesi apud publicanos deposuisse: id fuisse HS **XXII**; eam omnem pecuniam Pompeium abstulisse. quod ego siue aequo animo fero, siue iniquo; tu de HS centum millibus aequo animo ferre debes, & existimare, eo minus ad te uel de tuis cibarijs, uel de mea liberalitate peruenisse. quod si mihi expensa ista HS centum tulisses: tamen, quae tua est suauitas, quiq. in me amor, nolles a me hoc tempore aestimationem accipere. nam, numeratum si cuperem, non erat. Sed haec iocatum me putato, ut ego te existimo. ego tamen, cum Tullius rure redierit, mittam eum ad te, si quid ad rem putabis pertinere. Hanc epistolam cur non scindi uelim, caussa nulla est. Vale.

A R G. Cupidū se esse significat Mescinii uidendi; eumq. hortatur, ut acerbitatem temporum litterarum studio, optimaeq. conscientiae recordatione mitiget.

Cicero s. D. L. Mescinio. 21

GRATAE mihi tuae litterae fuerunt: ex quibus intellexi, quod etiam sine litteris arbitrabar, uidendi mei te summa cupiditate affectum esse. quod ego ita libenter accipio, ut tamen tibi non concedam. nam, tecum esse, ita mihi omnia,

quae mutua petebas.

uideretur explanandum, bis uicies millies.

publice datis.

possessionē lege Caesaris aestimatam, uide nostrum scholium.

idem alijs uerbis ep. xi. l. 2.

N omnia,

bonitas, iucun-  
ditas, & amor,  
causae cur a-  
memus, unaq.  
esse cupiamus.  
uide ep. 24. l. 9.

Caesaris fami-  
liarium.  
ep. 1. l. 2.

Pompeius.

Caesariana.

etiam si esset  
minus honesta.

omnia, quae opto, contingant, ut uehementer ue-  
lim. etenim, cum esset maior & uirorum, & ci-  
uium bonorum, & iucundorum hominum, &  
amantium mei copia, tamen erat nemo, qui cum  
essem libentius, quam tecum, & pauci, quibus-  
cum aequae libenter: hoc uero tempore, cum alij  
interierint, alij absint, alij mutati uoluntate  
sint, unum medijsfidius tecum diem libentius  
posuerim, quam hoc omne tempus cum pleris-  
que eorum, quibuscum uiuo necessario. noli enim  
existimare, mihi non solitudinem iucundio-  
rem esse, qua tamen ipsa uti non licet, quam sermo-  
nes eorum, qui frequentant domum meam, exce-  
pto uno, aut ad summum altero. itaque utor eo-  
dem perfugio, quo tibi utendum censeo, litte-  
rulis nostris, praeterea etiam conscientia consi-  
liorum meorum. Ego enim is sum, quemadmo-  
dum tu facillime potes existimare, qui nihil um-  
quam mea potius, quam meorum ciuium causa  
fecerim: cui nisi inuidisset is, quem tu numquam  
amasti; (me enim amabas) & ipse beatus esset,  
& omnes boni. ego sum, qui nullius uim plus  
ualere uolui, quam honestum otium. idemque, cum  
illam ipsa arma, quae semper timueram, plus  
posse sensi, quam illum consensum bonorum,  
quem ego idem effeceram, quamuis tuta condi-  
cione pacem accipere malui, quam uiribus cum  
ualentiore pugnare. Sed & haec, & multa alia  
coram breui tempore licebit. neque me tamen ulla  
res

res alia Romae tenet, nisi exspectatio rerum Africanarum. uidetur enim mihi res in propinquum adducta discrimen. puto autem mea non nihil interesse; quamquam, id ipsum quid intersit, non sane intelligo; uerumtamen, quidquid illinc nunciatum sit, non longe abesse a consilijs amicorum. est enim res ipsa iam in eum locum adducta, ut, quamquam multum intersit inter eorum causas, qui dimicant, tamen inter uictorias non multum interfuturum putem. sed plane animus, qui dubijs rebus forsitan fuerit infirmior, desperatis confirmatus est multum: quem etiam superiores tuae litterae confirmarunt: quibus intellexi, quam fortiter iniuriam ferres: iuuatque me, tibi cum summam humanitatem, tum etiam tuas litteras profuisse. uerum enim scribam: teneriore mihi animo uidebare, sicut omnes fere, qui, uita ingenua, in beata, & libera ciuitate uiximus. sed ut illa secunda moderate tulimus: sic hanc non solum aduersam, sed etiam funditus euersam fortunam fortiter ferre debemus: ut hoc saltem in maximis malis boni consequamur, ut mortem, quam etiam beati contemnere debebamus, propterea quod nullum sensum esset habitura, nunc, sic affecti, non modo contemnere debeamus, sed etiam optare. Tu, si me diligis, fruere isto otio; tibiq. persuade, PRAETER culpam, ac peccatum, quo semper caruisti, & carebis, homini accidere nihil posse, quod sit horribile,

ex una parte  
Caesar fuit, ex  
altera Scipio  
& Iuba rex.

utriusque ui-  
ctoria fore cru-  
delem putat.  
uide ep. 9. & 14.  
lib. 1.

cum resp. flo-  
rebat.  
cu Caesari ser-  
uiamus.

rerum humana-  
rum nam in-  
mortales ani-  
mos putat. idci-  
nicitar probat e  
in lib. de Sen. e-  
dute.

N 2 ribile,

EPIST. LIB. VI.

ribile, aut pertimescendum. Ego, si uidebitur re-  
 de fieri posse, ad te ueniam breui: si quid accide-  
 ru, ut mutandum consilium sit; te certiozem fa-  
 ciam statim. Tu ita fac cupidus mei uidendi sis,  
 ut istinc te ne moueas tam infirma ualetudine, nisi  
 ex me prius quaesieris per litteras, quid te uelim  
 facere. Me uelim, ut facis, diligas, ualetudiniq.  
 tuae, & tranquillitati animi seruias. Vale.

CICERONIS EPISTOLARVM

AD TORQVATVM, ET ALIOS,

LIBER VI.

ARGVMENTVM.

A. Manlium Torquatum, qui Pompeianas partes secutus  
 erat, consolatur in eo, quod Romae non sit; & aliquam fir-  
 mul spem reditus ostendit.

Cicero s. D. A. Torquato.

consolatur a com-  
 muni hominum  
 condicione. &  
 aduerte, i. prin-  
 cipio huius epi-  
 stolae quater  
 esse reperitur,  
 et tamen  
 quod in nobis  
 initio ducere-  
 tur.

ep. 4. & 13. l. 4.  
 & 30. lib. 7 au-  
 rium autē ten-  
 sum plus dolo-

**E**TSI ea perturbatio est omnium rerum,  
 ut suae quemque fortunae maxime pae-  
 niteat; nemoq. sit, quin ubiuis, quam  
 ibi, ubi est, esse malit: tamen mihi dubium non  
 est, quin hoc tempore bono uiro, Romae esse, mi-  
 ferrimum sit. nam etsi, quocumque in loco quis-  
 que est, idem est ei sensus, & eadem acerbitas  
 ex interitu rerum & publicarum, & suarum:  
 tamen oculi augent dolorem, qui ea, quae ceteri  
 audiunt, intueri coguntur, nec auertere a miseris  
 cogita

